



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

7. Iudiciorum diuersitas à triplici genere iudicum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

dicio: tamen si propriè dicantur, aliquid interesse non dubito: ut iudicium custodire dicatur, qui rectè iudicat: iustitiam verò facere, qui rectè agit. Rectum est Iudicium Dei, quia rectè iudicat, dum rectè sentit, & dum rectè agit. Nobis itaque Iudicij nomen & sensum, & actum significabit. Sensum, rectus est enim Dominus, quia apud se rectè æstimat: actum, quia itidem rectus est Dominus, siue cum in nos ius dicendo sententiam fert, siue cum ius dixit, & re ipsa bonos à malis, electos à damnatis secernit; & denique, cum malos malis, bonos bonis afficit; quin etiam tum, cum bonis mala, & malis bona submittit. Nunquã enim eius prouidentia, in sui dispositione, fallitur; nunquam oculus malè collimat; nunquam voluntas à scopo aberrat æquitatis. Ipse Dominus Deus noster: in vniuersâ terrâ iudicia eius. Hæc de Iudicij nomine ac descriptione: nunc de diuersis Iudiciorum classibus agamus.

Si à Iudicibus discriminemus Iudicia, quæ subimus, triplex est iudicium, ab Apostolo indigitatum; vnum quod ab alijs, alterum quod à nobismetipsis, tertium quod à Deo sustinemus. Ita enim loquitur: *Mihi pro minimo est, ut à vobis iudicer, aut ab humano die* (sæpe enim fallunt hæc iudicia, neque aded nocere possunt) *sed neq, me ipsum iudico* (nemo siquidem sui bonus est iudex, cum itidem decipi possit, & non omnia prouideat, quæ sunt à iudicante discutienda) *qui autem iudicat me, Dominus est.* Hominum igitur iudicia regula sunt Lesbia, plumbi, immò ceræ instar flectuntur & curuantur. At *iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa: nihil in illis scenicum, nihil simulatum aut dissimulatum, nihil ignorantia, aut affectu cæcum.* De his mihi sermo erit, ante oculos mortalium semper ponendis; ex quibus patebit, quoties hominum iudicia errent ipsis iudicij diuinis temerè iudicandis.

Quòd, si, non iam iudicantem, qui idem est Deus, sed eos, qui iudicandi sunt, aspicias, iterum triplicia reperiuntur: Sunt enim iudicia viuentium, morientium, resurgentium; seu iudicia, quibus vtitur Deus ad homines in hac vita gubernandos; & iudicia, quibus morienti cuique decernit tristem aut lætam æternitatem; quæ Iudicia particularia vocant; denique est Iudicium, quod appellant vniuersale, in quo animas, vnà cum corporibus, coram tota omnium hominum Angelorumq; multitudine, supremus incorruptusque Iudex iudicio strictissimo subijciat, sententiam.

B tiam.

VII.

1. Cor. 4. 5

Psal. 18. 10.

VIII.